



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. III. Quotuplex sit Potentia seu principium notionale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

QVÆSTIO III.

Quo duplex sit potentia, seu principium notionale?



DUPLICEM saltem notionale potentiam esse in diuinis alteram generatiuam, alteram spiratiuam citra controuersiam est. Cum autem potentia spiratiua in duabus Personis, Patre scilicet, & Filio sit, duplex-ne an vnica sit, præiens difficultas est. Et de potentia quidem notionali nulla ferè ex dictis difficultas peritat: nam quoad rationem distinctionis à termino producendæ, quam potentia spiratiua includit, nulla seorsim personalitas adequatum constitutum potentie spiratiuæ est: ac proinde sicut vna distinctio ex vtraque personalitate constat: ita & quoad distinctionem vna potentia. Quoad rationem verò efficaciam, & (vt sic loquar) virtuositatis, quam eadem potentia dicitur, cum in essentia, & communibus Patri, & Filio sit, pluralitati locus non relinquitur. Tota ergo difficultas est de principio spiratiuo absolute dicto, & de principio spiratiuo cum addito quod. Differunt autem principium absolute, & principium quod, quia hoc denotat principaliter non solum potentiam sed materiale totum illius, in quo potentia est, vt q. 2. cert. vl. n. 6. notabamus.

CERTAMEN I.

Principium spiratiuum absolute dictum vnicum in diuinis esse.

ID Vrandus in 1. d. 29. q. 2. & 3. Gregor. Arim. d. 12. q. 1. circa med. à quibus non multum discrepant Gabr. ibi art. 2. concl. 2. & art. 3. dub. 1. Altiisdorens. summæ c. 3. docent rigidè loquendo Patrem, & Filium duo principia absolute esse Spiritus sancti: licet cum Patribus non eo rigore loqui debeamus: ac proinde vnū absolute principium Spiritus S. dicendum esse vtrumque. Quam opinionem temeritatis notat Canariens. 1. p. q. 36. 2. p. Commentar. dub. 1. & 2. Ruiz d. 70. sect. 1. n. 14. Quæ centura si de principio absolute dicto, & sine addito quod intelligatur, non multum à ratione discordat. Id circo cum prædictis aliisque omnibus Theologis assero principium spiratiuum absolute dictum vnicum esse non duplex. Probat. Quia concreta substantialia solum multiplicantur per multiplicationem formarum, quas in recto, & principaliter important. Sic Deus vnus est, licet Personæ, quæ diuinitatem habent tres sint; Personæ autem sunt tres, quia personalitas, quæ principale, & rectum significatum concreti substantiui Persona est, multiplicatur in diuinis: cum ergo nomen hoc principium spirandi absolute, & sine addito dictum concretum substantiui sit, potentiamque notionalem principaliter, & in recto significet, non nisi multiplicata potentia spirandi poterit multiplicari: constat autem potentiam spirandi, saluis fidei dogmatibus multiplicari non posse: ergo neque eisdem illis principium spirandi absolute poterit multiplicari. Probat. secundo ex nostris principiis: quia principium inadæquatum, & incompletum absolute principium non est: nec, nisi cum addito partialis, principium dici potest: sed Pater solus, & Filius solus est principium inadæquatum spirandi: ergo neuter seorsim est absolute principium spirandi: ergo neque vterque duplex absolute spirandi principium.

2 Hoc ipsum probant testimonia Patrum, & Conciliorum. Nam Concilium Lugdunense sub Gregor. 10. relatum cap. vnic. de Summa Trinit. in 6. damnat eos qui præsumpserint temerario ausu asserere quod Spiritus sanctus R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, non tanquam ex vno, procedat. Idem docent Patres Concilii Florentini sess. 25. seu vlt. in professione Latinorum col. 5. S. Quibus Latini, & longè à med. S. Quid equidem, & S. Ego ab inuente, atque Eugen. Pap. 4. in literis vniõnis Concilio approbante definit: Spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter est: & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ex vno principio, & vnica spiratione. Ex Græcis Patribus nihil ferè firmum pro nostra conclusione adduci potest, vt videre licet apud relatos à Ruis num. 4. Ex Latinis verò August. id sæpius expressit. 5. de Trinit. cap. 13. & c. 14. circa finem, ubi hæc habet: Si ergo, & quod datur, principium habet eum, à quo datur: quia non aliunde accepti illud, quod ab ipso procedit: fatendum est Patrem, & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Item Patrem, & Filium esse principium de principio, non duo principia, sicut Deus est de Deo, & non plures Di. Docet 10. de ciuit. capite 23. circa finem, & 3. contr. Maximin. capite 17. circa finem, & tract. 39. in Ioann. à princip. Isidorus 1. sententiar. de summ. bono c. 15. sic habet. Inde vnus sunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius. Non enim res vna, & duorum consubstantialis poterit simul à duobus procedere, & simul inesse, scilicet Spiritus sanctus, nisi vnus fuerit à quibus procedat.

3 Respondet Durandus in Concilio citatis non dici absolute procedere Spiritum sanctum ab vno principio, sed tanquam ab vno principio: vt denotetur locutionem rigidam non esse. Contra primò: quia August. & Isidorus non adhibent particulam tanquam, sed absolute aiunt esse vnum principium. Contra secundo: quia Patres Græci ideo in Concilio Florentino detestabantur concedere Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere: quia inde putabant inferri duplicem Personam esse duo principia Spiritus sancti: quod neque Hereticus, aut Schismaticus vllus aulus vnquam fuerat admittere. Eis verò Concilium ea definitione respondet non ita inferri, sed à duobus procedere Spiritum sanctum, ac si duo non essent, sed vnus: quia, quantum ad principium Spiritus sancti attinet, vnus sunt. Cum ergo rigidè duo esse principia admitenda Græci timerent, Latinisque obicerent: dum vnus esse definit Concilium, vt metum eorum sedet, rigidè vnus principium esse definit. Alioqui Græci fortius se obiceret, quam Latini soluerent, merito insultarent: Confirmatur: quia sess. 24. præcedenti Ioannes Theologus Latinorum nomine sine particula tanquam de Filio scribit post med. Vna cum Patre principium vnicum est Spiritus sancti, non tamen Personarum consensione. Sed neque in narratione dissidij Græcorum cum Latinis præmissa decreto in literis vniõnis, neque in sententia Orientalium, & Occidentalium relata in oratione Bessarionis pro vnione cap. 8. particula tanquam, aut æquivalens vlla adiungitur vocibus vnus principium.

4 Quin imò sess. 25. col. 5. S. Quibus Latini in professione fidei data ad Græcos hæc habentur: Quoniã Græci suspicantur nos duo principia, ad vtriusque causas in Trinitate profiteri: id circo hanc habentes sententiã anathemate damnamus. Quandoquidem ipsi credimus Patrem, & Filij operatione potestatemque mittendi vnicam Spiritus S. causam esse: ita, vt Filius non sit diuersum à Patre principium. Contra tertio: quia Cõcilia in rebus adeo grauib. & de quibus est Controuersia rigidè loquuntur nõ in propriè: atq. in dissidij Cõciliis Controuersia fuit de principio Spiritus S. an vnicū esset, vel duplex: Ergo cum definiūt vnū esse principij, rigidè, & nõ in propriè loquuntur. Cõtra quarto: quia quoties dictio tanquam in propriè acceptione termini, cui adiungitur, denotat, nõ excludit absolute verificatione propositionis oppositæ: at Cõcilia citata: & Patres absolute negant, & excludūt propositione oppositã, scilicet Patrem, & Filium esse duo principia Spiritus S. ergo cum adiungitur illud tanquam vocibus vnus principium in eadem materia, non denotat in propriam significationem vnus principij. Denique tanquam, & quasi sæpe in Scripturis non significare in propriè terminum, cui adiungitur, ostendimus satis d. 2. q. 2. cert. 2.

P 2 Obiicies

Obiicies contra rationem conclusionis. Concreta substantialia multiplicantur per formas, quas principaliter significant: ergo cum in Deo, & Patre sit duplex potentia, notionalis scilicet generatiua, & spiratiua, Pater erit duplex principium. Quod si in Patre negetur, quia in eo potentia spiratiua adaequata non est; cum in Deo Pater, & Filius claudantur, & proinde potentia generatiua, & spiratiua in Deo erit duplex principium, quod est contra Anselm. epist. de process. Spirit. sancti c. 11. circa fin. Respondetur, si de duobus principiis realibus, realiterque duobus in ratione principij sit sermo, nihil probare obiectionem, cum duplex notionalis potentia realiter non distinguatur in aliquo supposito diuino, imò neque formaliter adaequate in Deo; siquidem in vtraque potentia constituta ingreditur Patris personalitas, vt quaestione 2. dicebamus: quare de absoluta, & adaequata distinctione non datur locus duplici potentiae notionali realiter, imò neque formaliter, vt patet.

CERTAMEN II.

Pater, & Filius sunt vnum principium quod Spiritus sancti: licet Catholicis liberum sit aliter censere.

1. **V**T postea conclusio probetur notandum venit discrimen inter principium cum addito illo vocis *quod*, & principium absolute dictum. Nam additum *quod* denotat, non solum formam principaliter, seu potentiam, qua principium in esse principij constituitur, sed materiale etiam, & subiectum principij, seu potentia: sicut calidum neutre, & substantiue sumptum, non autem adiectiue, solum denotat principaliter calorem; si autem addatur particula *quod* denotat, etiam si substantiue sumatur, subiectum. Hinc constat nihil censura dignum admitti à Durand. Gregor. & Gabriele, atque Altissiodorensi citatis cert. 1. n. 1. dum duplex principium spirandi in diuinis admittunt, si de principio cum addito *quod* loquantur: ac proinde inanem esse temeritatem, ac proximitatis ad errorem notam, quam eis inurebant Canar. 1. p. quaest. 36. 2. p. Commentar. dub. 1. & 2. Ruiz d. 70. sect. 1. n. 14. Nihil enim ad rem hanc definiendam firmum in Patribus, & Conciliis inuenitur. Primum: quia de principio cum addito *quod* nihil loquuntur. Secundum: quia eorum rationes eo expressè nituntur, quod in Patre, & Filio vna sit potentia spiratiua, vnaque spiratio, non multiplex, vt patet ex his, quae praemisera Concilium Lugdunense ante data à nobis verba certam. proximo; & ex verbis datis Concilij Florent. ibidem n. 3. & 4. & ex ratione data in verbis Augustini, & Isidori ibidem. Haec autem ratio solum probat de principio absolute dicto, in quo principale, & rectum significatum potentia sola est; non autem de principio *quod*, in quo potentia subiectum, seu, quasi subiectum, est etiam principale, & rectum significatum.

2. Vt autem videat Ruiz, quam immeritò sententiam de duplici principio *quod* spirandi temeritatis insinuat, ostendamus in eius sententia oppositum defendi non posse. Etenim addita particula *quod*, materiale principij principaliter etiam, & in recto significatur: ergo eo multiplicato multiplicatur etiam principium *quod*: quia multiplicato principali significato, multiplicatur concretum substantium: materiale autem significatum principij *quod* spirandi multiplicatis Personis, quae sunt materiales spirantes multiplicari dubium in huius praesertim sententia non est. Probo rursus, multiplicato subiecto formae ignis multiplicatur ignis *quod*, ita vt sint plures ignes *quod*: quia particula *quod* significat principaliter etiam subiectum: sed particula *quod* addita voci principij significatur etiam principaliter materiale principij, scilicet Persona indiuidua, quae principium est: ergo multiplicatis Personis indiuiduis in Patre, & Filio multiplicatur etiam principium *quod* spirandi. Proba-

tur tertio à priori: quia posita potentia adaequata in subiecto, seu quasi subiecto resultat necessarìo vnum potens *quod*: sed potentia spiratiua adaequata ponitur in personalitate Patris indiuidua quasi in subiecto (cum personalitas, seu paternitas indiuidua, in huius sententia, constitutiua non sit formaliter potentiae spiratiuae, sed solum conceptus, communis etiam Filio, relationis spirandi) ergo Pater est vnum, integrum, potens *quod*, seu, quod idem est, vnum principium *quod* spirandi. Rursus eadem potentia adaequata spirandi ponitur in filiatione, seu personalitate indiuidua Filij, tanquam in subiecto distincto: ergo resultat alterum integrum, & adaequatum potens, seu principium *quod* spirandi: ergo in diuinis est vnum, & aliud principium *quod* spirandi, in huius sententia, ac proinde non vnicum, sed duplex contra ipsum.

3. Nec praestat si dicas Patrem esse principium *quod* inadaequatum, & Filium similiter seorsim. Nam si potentia adaequata spiratiua extra conceptum singularis personalitatis, seu paternitatis, & filiationis sit, vt est in huius sententia, si capax vnusquisque sit totius potentiae subiectina inadaequatio nusquam inuenitur. Dices: licet paternitas, & filiatio, quae tales, potentiam spirandi non constituent, aut esse conditiones; quia Spiritus debet procedere à duobus. Contra: non contendimus esse duplex principium *quod* expeditum ad operationem, & cum omnibus requisitis ad illam; sed solum esse absolute duplex principium *quod*, licet sine conditionibus; quemadmodum licet sine approximatione, & aliis conditionibus ad agendum duo agentia sint, absolute duo principia *quod* erunt. Respondet tandem Ruiz sect. 5. principium spiratiuum *quod* dicere solum spirationis relationem sub conceptu communi constituenti supposito subsistens: atque eo modo abstrahere à Patris & Filij singulariter personaliter acceptorum relationibus. Sed contra est: quia in ratione principij *quod* significatur ratio subsistentiae tanquam principale significatum per te: ergo in ratione indiuiduo principij *quod* dicitur indiuidua personalitas vt numero 2. arguebam.

4. Nihilominus absolute assero Patrem, & Filium non esse duplex, sed vnum principium etiam *quod*. Primum: quia accommodatior locutio est ad Patrum, Conciliorum, & Scholasticorum propositiones explicatas, & quae saltem eas firmius defendunt. Secundò efficacius probatur in nostris principiis. Quia principium inadaequatum neque est neque dici absolute potest principium *quod*: sed Pater, & Filius, seorsim vnusquisque, est principium solummodo inadaequatum spirandi: ergo neuter seorsim est absolute principium *quod*; ergo vterque simul non sunt absolute duo principia *quod*. Vtraque consequentia est plana. Maior perspicua. Probatur minor. Inadaequata potentia nequit adaequatum principium absolute constituere: sed in Patre seorsim, & in Filio seorsim solum est inadaequata potentia spirandi: ergo nequit & Patrem seorsim & Filium seorsim adaequatum principium *quod* constituere. Minor probata est quaestione 2. cert. 2. numero 3. Quia personalitas Patris, & Filij, vt singulares, & distinctae complement potentiam notionalem spirandi: ergo, in quo non fuerit vtraque personalitas, sed altera tantum, nequit esse adaequata potentia spirandi, sed solum inadaequata: ergo in neutro seorsim est adaequata potentia spirandi, sed solum inadaequata. Obiicies Hilar. 2. de Trinit. longè à med. dicentem: *Spiritus de Patre, & Filio auctoribus constituendus est.* Alios item Patres, qui eosdem donatores Spiritus sancti appellant: quae sane locutiones ab Scholasticis admittuntur: Sed iuxta nostram doctrinam nequeunt dici duo auctores, & donatores Spiritus sancti: cum neuter seorsim habeat potentiam adaequatam spirandi: ac proinde neque adiectiue, aut verbali nomine dici duo auctores, & donatores possint. Ergo malè conclusionem probamus. Respondetur ex S. Thom. quaest. 36. art. 4. quem imitantur Scotus in 1. d. 12. quaest. 1. §. *Iuxta quaestionem*, Marfil. quaest. 15. art. 3. ante argumenta, & ad vltimum, Anselm.

Aureol. art. 4. Carthuf. d. 11. quæstione 4. Ricard. art. vnic. quæst. 5. & aliis apud Ruiz, proprius, & melius dici vñi auctorem, & donatorem, quam duos. Sed neque in nostra doctrina specialiorum habet difficultatem, quo minus adiectiue duo producentes dicantur, vt omnes admittunt: cum pluralitas Personarum non compleat efficaciam quam importat principaliter nomen potentie: ac proinde, cum integra fit in vno quoque efficacia, & influxus in Spiritum sanctum, duo producentes, & potentes adiectiue dicentur.

QVÆSTIO IV.

An potentia generandi, & spirandi omnibus Personis conueniat?

STATVERAM præsentem quæstionem, de nomine totam, prætereire. Sed ne aliquid ab aliis hæctenus disputatum in nobis desideretur eam etiam adiecimus.

CERTAMEN I.

Potentia generatiua, & spiratiua male in tribus Personis asseritur à nonnullis.

DOCTORES, qui notionalem potentiam sola essentia contineri putabant q. 2. cert. 1. num. 1. vtramque in omnibus Personis esse docebant: non secus atque essentia in omnibus est. Ita & Scotus cum suis in 1. d. 7. quæst. vnic. col. vlt. §. quia autem. Eostamen ibi reiecit; atque ex ibi dictis quoad præsens facile quibus reiecit. Ita etiam Marfil. in 1. quæst. 11. art. 3. quæst. 13. art. 6. licet constitutioni potentie notionalis aduersetur. Eodem hac in re sectatur Ruiz d. 101. sect. 2. num. 6. quia censet multique probare contendit potentiam notionalem actiuam eandem prorsus cum passiuam esse: quare in quocumque sit passiuam, & actiuam necessariò fore. Assumptum probat: quia alioqui potentiores essent personæ producentes, quam procedentes, vt arguit August. 3. contr. Maximin. cap. 12. circa fin. recitatus à Magist. in 1. d. 20. sic effectus: Absit autem, vt, quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater; Filius autem non genuit Creatorem. Neque enim non potuit; sed non oportuit. Vbi, & conclusionem hanc videtur tradidisse illis verbis: neque enim non potuit, quibus duplici negatione potentiam generandi Filio asseruit.

Sed nescio qua consequentia Ruiz sic arguat, ac pro se Augustinum referat: cum sect. 1. num. 22. nullatenus concedi Filio posse dicat generatiuam potentiam. Neque id Augustinus asseruit; sed solum non habere impotentiam defectuosam, seu priuatiuam, licet negationem potentie habeat, quam non oportuit esse in ipso: cum illa potentia generandi satis compensetur potentia passiuam Filij, vt generetur. Ita etiam respondent Athanas. orat. contra Arrian. circa med. Cyrill. 3. thesaur. cap. 2. sub init. Ambros. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. post init. vbi Arrianis respondent, eosque redarguunt: de quo rursus cert. 2. Iterum eandem notionalis potentie actiue cum passiuam identitatem probat Ruiz. Quia potentia attributum absolutum est in diuinis: ac proinde omnibus personis communis. Sed rogo an loquatur de potentia quauis diuina, nec de omnipotentia solum? Si enim de potentia, etiam notionali loquatur, aduersatur sibi d. 100. sect. 15. vbi personalitates ad constitutionem potentie notionalis aduocat: neque admittere catholicè potest potentiam notionalem passiuam esse

in Personis producentibus: id quod suis argumentis probat, si quid probat. Si autem, non de potentia quauis diuina, etiam notionali, sed de omnipotentia solum loquatur, quid ad rem? Magni aiunt Argentin. Aegydius in 1. d. 20. quæstione vnic. & Ruiz: quia potentia notionalis ad omnipotentiam spectat, quæ in omnibus diuinis Personis est, vt Catholici omnes fatentur.

3 Assumptum, licet arduum, probat Ruiz ex Athanas. de vnit. substant. Trinit. med. vbi non temporaliter accessisse potentiam generatiuam Patri ait: Quia si per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur. Et orat. contra Gregal. Sabell. vers. med. Cum Dei potestas Filius sit, ideoque plenè, & ad perfectum potens est Pater. Plenè potens autem idem est, quod omnipotens. Hilari. 6. de Trinit. post med. de Patre sic loquitur: Genitum à te Filium omnipotentie tue virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo. Cyrill. Alex. 2. thesaur. cap. 1. Quia igitur omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius. August. 3. contr. Maximin. c. 7. post med. An fortè dare non potuit? Vbi est omnipotentia Dei Patris? Profsus ad hunc articulum res colligitur: vt Deus Pater æqualem gignere Filium, aut non poterit, aut noluerit. Si non potuit infirmus. Si noluit inuidus inuenitur. c. p. 15. circa fin. Deus ergo cur non æqualem genuit? Filium, cui neque anni necessarij fuerunt, neque omnipotentia defuit. Secundo probatur ex Patribus pluribus, qui vim generatiuam, potentiam, & potestatem appellant. Tertio ex aliis, qui impotentiam fore aiunt, si Pater gignere Filium non posset. Ita Basil. 2. contr. Eunom. vers. med. Cyrill. Alex. 2. thesaur. c. 2. longè à med. lib. 12. cap. 6. circa med. Fulgent. ad 5. Obiectionem Arrianor. ante med. Denique obiectum omnipotentie est quiddam non implicat contradictionem: Filius autem, & Spiritus non implicat contradictionem: quare, & venient sub omnipotentie obiectum.

4 Sed enim adhuc inconsequentia Ruiz notata in 2. persistat. Atque insuper falsum omnino est potentiam notionalem in omnipotentia contineri, vt expressè reliqui Doctores fatentur, Scot. Gregor. & Okam. in 1. d. 20. q. vnic. Durand. quæst. 1. Maior d. 42. quæst. 1. sub init. vbi Carthuf. & d. 20. cum Alexand. & d. 7. quæst. 3. cum Alberto, S. Thom. quæst. 2. de potentia art. 5. corp. Vazq. d. 165. c. 2. Soar. 4. de Trinit. cap. 10. num. 3. Val. 1. p. quæst. 16. puncto 2. Caietan. quæst. 25. art. 3. ad 1. Moerat. d. 56. Luis Torres d. 28. dub. 6. Hurtado d. 1. diff. 10. §. Quarta ergo. Ratio est: quia omnipotentie adæquatum obiectum sunt propriè factibilia: atqui Personæ procedentes factibiles propriè non sunt: ergo sunt extra obiectum omnipotentie: ergo, & potentia notionalis extra omnipotentiam est. Minor est de fide, & vtraque consequentia certa. Maior probatur primò ex Fulgent. de fide ad Petrum c. 3. sub init: In eo Dei omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem, atque inuisibilem de nihilo fecit. Vbi non dicit inde colligi (vt Ruiz responder) sed in eo intelligi. Intelligitur autem vnum quodque in eo, in quo eius essentia, seu proprietates est. Intelligitur ex Fulgentio in productione rerum ex nihilo: ergo proprietates omnipotentie est propriè causare, seu producere, quiddam propriè creatibile est: ac proinde posse id efficere essentia omnipotentie est. Probatur secundo antecedens ex Concilio Nicæno lib. 2. longè à princip. §. Si, vt tu dicis, vbi dicitur Filius: æquè potens, vt Pater, creator cum Patre: potentiam creatiuam pro omnipotentia vsurpante Concilio. Tertio probatur ex Ambros. maior eadem. Sic enim ait 2. de fide ad Gratian. cap. 3. vers. med. de Filij omnipotentia: Ostendat aliquis, quid sit quod non possit Dei Filius? Quis ei adiutor, cum cælum faceret, suis? Quis ei adiutor, cum conderet vniuersum? Nisi autem adæquatum obiectum omnipotentie in creabilibus, seu propriè factilibus contineri putaret: licet mundum potuisset facere, ac proinde quæcumque factibilia, seu creabilia, cum Personis diuinis omnes non posset, cum nec se, nec Patrem posset, aliquid esset, videretque Ambrosius, quod non posset Dei Filius. Malèque Ambrosius, vt omnia posse ostenderet, probaret ex factilibus solum.